

SOLLEMNIA PUPILLARUM
ACADEMIAE
RICARDIUS HESLIANI
VII. ANNO A. MDCCCLXV.

De lectione sacrae Scripturae

Dissertatio.



De Lecturee sacrae Scripturæ

Imprimatur

Monasterii die I. Augusti 1841.

Episcopus Monasteriensis.

Casparus Maximilianus.

Steinbicker, Secr.

mutus. Tunc minister manuam ducit ad Oculum, quod est oculus eius. Tunc quoque manus eius in manu eius. Quia vero omnis homo in Christo est, et regis ibidem regis, et fidelis ibi fidelis. Et secundum modum antequam tantummodo exposita sunt communia omnia de cunctis aliis sicut etiam etiam in Christo, tunc in manu eius. Tunc enim supra omnia omnia de cunctis aliis sicut etiam etiam in Christo, tunc in manu eius. Tunc enim supra omnia omnia de cunctis aliis sicut etiam etiam in Christo, tunc in manu eius. Tunc enim supra omnia omnia de cunctis aliis sicut etiam etiam in Christo, tunc in manu eius.

Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus a Patre omnipotenti in mundum descendens, „ut omnis, qui crediderit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam“, ¹⁾ ad salvandas omnes gentes Ecclesiam constituit, quum et ipse verbum divinum doceret ²⁾ et apostolos suos in mundum universum dimitteret Evangelium praedicaturos omni creaturae, ³⁾ ut viva eorum oratione veram religionem edocti homines in regnum ipsius reciperentur. Ne autem apostoli hoc gravissimo fungentes verbi divini ministerio a veritate ipsi defleterent, neve alium quenquam in errorem coniicerent, **Christus Dominus et suum ipsius** ⁴⁾ et **Spiritus sancti** ⁵⁾ praesidium illis promisit eosque hoc firmissimo adiumento ab omnibus fidei erroribus tutos et auctoritatem eorum communitat esse voluit, ita ut **Christi Ecclesia super Petram fundata** ⁶⁾ summo iure „columna et firmamentum veritatis“ a.s. **Paulo vocaretur.** ⁷⁾ **Quisquis** igitur tum temporis veram et integrum Christi doctrinam cognoscere desiderabat, vivum eius fontem adire et sive ipsi Domino sive Apostolis evangelizantibus assiduum operam dare coactus erat; nec negari potest, praesentem illam salvatoris eiusque discipulorum orationem primis Christi fidelibus solam fuisse regulam et normam religionis christiana. Sicuti autem iam ante adventum Jesu Christi verbum divinum a Prophetis, in quibus Deus olim Patribus loqui dignatus est, ⁸⁾ non modo voce praedicatum, sed et litteris mandatam erat: ita complures annos post constitutam Ecclesiam Apostoli quoque precibus fidelium aliquisque causis gravissimis commoti, non vero ipsius Magistri verbis provocati, vitam, passionem ac mortem Salvatoris coelestemque eius doctrinam, res memorandas primorum Christianorum, praeципue mores eorum strenuos et disciplinam libris conscribere atque in usum fidelium convertere coeperunt: quos apostolicos sive

¹⁾ Joann. III, 16. ²⁾ Joann. XIV, 6. XVIII, 37. ³⁾ Marc. XVI, 15. ⁴⁾ Math. XXVIII, 18 — 20. ⁵⁾ Joann. XIV, 16 — 17, 26. ⁶⁾ Math. XVI, 17 — 20. ⁷⁾ 1 Timoth. III, 15. ⁸⁾ Hebr. I, 1.

4

Novi Testamenti libros cum Veteri Testamento coniunctos sacram Scripturam sive Biblia sacra appellant, quicunque Christi doctrinam profitentur. Tantum vero abest, ut apostoli litteris suis universam Christi doctrinam completi adeoque omnibus fidelibus officium iniungere voluerint inde cognoscendi religionem christianam, ut ipsi saepius distinctis verbis confiteantur, se nec omnia quae Christus fecerit et docuerit scripsisse nec scribere potuisse, ac satis superque declaraverint, gravissimum Domini de praedicando Evangelio mandatum sibi perpetuo ob oculos versatum esse: quippe quum s. litteris confectis non solum praedicare pergerent, sed etiam omnes fideles hortarentur, ut doctrinam et scriptam et non scriptam servarent⁹⁾; immovero non ignari quaedam in s. libris obscura esse et intellectu difficultia enixe monerent, ne scriptura a quoquam in perniciem converteretur.¹⁰⁾ Hac ratione Christus Dominus saluti Ecclesiae recentis conditae benevolentissime prospexit: ut vero etiam post apostolicam aetatem omnes fideles ad perspicuam et plenam doctrinam christianam cognitionem pervenire possent, successores quoque apostolorum, Episcopos et Praesides Ecclesiae suo et spiritus sancti praesidio confirmatos esse voluit usque ad summationem saeculi.¹¹⁾ Quapropter ex institutione divina infallibile illud Ecclesiae catholice magisterium facultatem et officium habet, non modo doctrinam et scriptam ab apostolis et sermone traditam praedicandi integrumque servandi, sed etiam verum et genuinum eius sensum explicandi; nec alii cuiquam permisum est, Ecclesiae explicationem reiucere aut mutare atque ex suo arbitrio s. scripturam et traditiones divinas interpretari, dummodo gravissimum Jesu Christi monitum revereatur dicentis: „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit“¹²⁾ — „Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.“¹³⁾ Quod quidem etiamsi non tanta vi tantoque rigore a Domino ipso affirmatum esset, unicuique tamen inde patesceret, quod verbum divinum immutabile et constans humana sapientia mutari nequit, nisi quavis in Deum pietate et reverentia sublata.

His principiis accurate cognitis penitusque perspectis facili negotio coniici licet, quid de s. Scripturae lectione iudicandum sit: qua de re, etsi saepius a viris doctissimis pertractata, paucis disserere mihi proposui, hoc praeципue consilio, ut studiosa iuventus, imprimis discipuli dilectissimi a pravis et perversis, quae etiam nostra aetate ab inimicis Ecclesiae circumferuntur, sententiis arceantur fidesque eorum pia et sincera augeatur. Impii

⁹⁾ Conf. Joann. XXI. 25. 2 Thessal. II. 15. 2 Timoth. II. 2. 1 Cor. XI. 2. ¹⁰⁾
2 Pet. III. 16. ¹¹⁾ Math. XXVIII. 20. Joann. XI. V. 16. ¹²⁾ Luc. X. 16. ¹³⁾ Math.
XVIII. 17.

enim homines Ecclesiam catholicam conviciis saepius acerbissimis prosciderunt, criminis ei vertentes, quod verbum Dei fidelibus eripuisse omnesque aditu ad sincerum salutis fontem prohiberet. Quae opprobria falsissima esse adeoque absurdia non solum inde perspicietur, quod Ecclesia catholica, quae provida filium mater merito appellatur, parum sane amoris ac benevolentiae filiis suis praestitisset, si illum librum omnibus interdixisset, cuius ope quam plurimi homines veram virtutem et vitam aeternam consecuti sunt; sed etiam ipsis Ecclesiae decretis ac praceptis rite perpensis confirmabitur et cuivis veritatis amanti luce clarius apparebit. Verumtamen reverentiae ac pietatis, quae sanctissimae matris nostrae usque debetur, non oblitus minime in animum induxi, de iis, quae Ecclesia Spiritus sancti praesidio firmata docuit ac decrevit, iudicis partibus fungi, sed potius quam in hac re ingressa sit rationem et quomodo sulci filium prospexerit, quam simplicissime proponere conabor, ut benevolia ipsius sapientia illucescat et Deus optimus maximus glorificetur, qui Christianos tute lae matris illius providae committere dignatus est.

§ 4.

De dignitate s. Scripturae.

Quanquam s. Scriptura, ut supra diximus, neque sola neque prima fidei christiana norma iudicanda est, sinceri tamen Christi fideles summo eoque iustissimo honore ac reverentia eam prosequi et librum omnium sanctissimum praedicare solent, quoniam prae omnibus quotquot unquam scripti sunt libris sola s. Scriptura quae divina nominetur digna est. A Deo enim sanctissimo originem duxit, scripta a legatis divinis ad instituendos homines constitutis, partim a Prophetis Deo amicissimis, qui divina virtute praediti modo mollibus modo asperis et severis orationibus modo omni eloquentiae divinae impetu et fervore ad penitentiam et virtutis studium Judaeos commonebant; partim ab Apostolis discipulis Jesu Christi et comitibus assiduis, qui sanctissimi Magistri auctoritate instructi in omnem terram profecti sunt,¹⁴⁾ ut cultum everterent deorum fictorum veramque religionem in mundum universum propagarent. Utrisque perpetuo aderat virtus Spiritus sancti, quo adiutore verbum Dei nullo errore corruptum praedicare, quo duce libros divinos scribere potuerunt, ita ut nec verbis eorum, nec litteris quidquam contineretur nisi integra Dei doctrina. Quamobrem s. Scripturam fideles inde a primis temporibus dicebant divinitus inspira-

¹⁴⁾ „In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.“
Rom. X. 18.

tam summisque laudibus celebrabant, in iis s. Gregorius Magnus, Doctor Ecclesiae, qui Epistolar. lib. IV. Cap. 84.: „Quid est, inquit, „Scriptura sacra, nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?“ et s. Augustinus Episcopus Hipponensis Confession. lib. XII. cap. 29. dicens: „Ad haec tu dicas mihi, quoniam tu es Deus meus et dicis voce forti in aure interiore servo tuo, perrumpens meam surditatem et clamans: O homo, nempe quod scriptura mea dicit, ego dico.“ — Quum autem verbum divinum et praedicatum et scriptum omnibus hominibus plurimi faciendum sit, nec cuiquam non possit esse utilitati et praesidio: quisnam sanctissimum illud et gravissimum vilipendere, negligere, contemnere ausit? quis est, qui non summo cum gudio librum amplectatur, in quo verba consolationis et pacis ex ore ipsius Dei percipere potest, quae etiam atque etiam animo consideret, meditetur, exsequatur? Nemo certe tam impio et ingrato animo erit, nisi forte nimia sui ipsius opinione ductus et ratione sua innixus inanem animo fovet persuasionem, se non egere revelatione divina, atque pretiosissimum munus divinum superbe aspernatur. Longe alia mente sunt ii, qui imprudentiae et imbecillitatis humanae sibi consueverint quodvis Patris benignissimi verbum desiderio summo excipiunt et fideliter custodiunt, qui humiles sunt corde et ea de causa maiore in dies fruentur gratia divina in cognoscendis rebus celestibus, confirmante Christo Domino, qui Math. V. 6. beatos praedicavit esurientes et sitiens iustitiam atque Math. XI 23. Patri omnipotenti gratias agit, quod „doctrinam salutis a sapientibus et prudentibus abscondisset et parvulis revelasset.“

Neque haec sola est ratio, cur s. Scripturam summa reverentia et nomine libri divini dignissimam censeri oporteat, sed accedit, quod ipsa Deum excelsum eiusque infinitum erga homines infelicissimos amorem, misericordiam, providentiam nobis proponit, certissimamque qua vitam aeternam consequi possimus viam demonstrat. Res generis humani gravissimas ex s. Scriptura cognoscimus, quae nos edoceat, primos homines secundum Dei similitudinem iustos ac probos esse creatos, sed a praeclaro fine ipsis proposito aberrasse, dolis diabolicis tristissima ratione deceptos, et culpa eorum summam miseriam in omnes posteros reddidisse; unde primam originem omnium peccatorum et calamitatum unicuique perspicere licet. Tantum autem abest, ut libris divinis ad desperationem quisquam adducatur, ut omnes ad spem erigantur firmissimam, apertis divitiis misericordiae Dei, qui quanquam angelis peccantibus non pepercit,¹⁵⁾ hominibus tamen misericordiam promisit, quo intercedente omnibus salus aeterna reparata est. —

¹⁵⁾ 2. Pet. II. 4.

Quid demum de Novo Testamento dicamus? quo tanta tamque manifesta documenta caritatis et benevolentiae a **Filio Dei Domino Jesu Christo** qui est benedictus in saecula¹⁶⁾ hominibus praestitae, atque innumera beneficia continentur, quibus omnes munificentissime auxit, quotquot tunc erant et unquam ipsi erunt addicti. Quanta reverentia nostra et admiratione dignas iudicemus illas litteras divinas, in quibus testes **Jesu Christi** comitesque assidui accuratam et vividam Salvatoris imaginem exprimunt simplici ac sincero usi sermone, atque orationes eius maxime benevolas iisdem verbis nobis reddunt, quae ex ore eius divino emanarunt! Quodsi fideles s. Scriptura destituti essent, pretiosissimum sane Salvatoris monumentum desiderarent, nec egregium virtutum ipsius exemplar illis ob oculos versaretur, imitatione dignissimum, nec animus eorum imbecillus incitaretur ipso aspectu vitae hominum iustorum, qui omnibus temptationibus forti virtute restiterunt et praeclaris virtutibus erant insignes, qui omnibus relictis Christum secuti summo cum gaudio pro nomine eius sanguinem suum fuderunt, cum Apostolo Paulo dicentes: „Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi **Dominus** in illa die iustus index, non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius.“¹⁷⁾ — Quam s. Scripturae praestantiam magnopere celebravit s. Gregorius Magnus dicens¹⁸⁾: „Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim foeda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus, quantum proficimus, ibi a profectu quantum distamus. Narrat autem gesta Sanctorum et ad imitationem corda provocat infirmorum. Dumque illorum victoria facta commemorat, contra vitiorum proelia debilia nostra confirmat, fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum triumphos videt . . .“

Quis est igitur qui summam s. Scripturae dignitatem agnoscere nolit? quis dubitaverit, quin fideles magnos inde fructus possint percipere? Certe maximas gratias pro hoc egregio munere **Deo nostro optimo maximo** referamus oportet; licet enim casu fortuito nobis ortae apparent litterae sacrae, Deus tamen benignissimus earum est auctor, qui apostolos et prophetas ad scribendum incitavit, ut quam plurimorum fides augeatur et quam plurimi ad salutem perveniant sempiternam: quapropter s. Paulus summam Scripturae utilitatem his verbis confirmavit:¹⁹⁾ „Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.“

¹⁶⁾ 2 Cor. XI, 31. ¹⁷⁾ 2 Tim. IV, 7—8. ¹⁸⁾ Moral, lib. II, cap. 1. ¹⁹⁾ 2 Tim. III, 16.

Quid s. Scriptura primis Christi fidelibus profuerit.

Jisdem laudibus s. Ecclesia catholica omnibus temporibus libros et Veteris et Novi Testamenti prosecuta est nec unquam devotionem et reverentiam summam illis praestare recusavit; id quod omnium conciliorum decreta assatim declarant. Sacrosancta Synodus Tridentina quid hac de re sentiat apertis verbis prodidit affirmans,²⁰⁾ „se sanctorum Patrum exempla secutam omnes libros tam V. quam N. T. pari pietatis affectu et eadem reverentia suscipere et venerari, qua traditiones continua successione in Ecclesia catholica conservatas;“ et postquam canonem librorum sacrorum huic sententiae adscripsit: quisquis „aut libros canonicos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverint et in veteri vulgata latina editione habeantur, pro sacris et canonicis non suscepere, aut traditiones illas sciens ac prudens contemserit,“ istum ex communione fidelium segregandum statuit. Huic Ecclesiae sue voluntati saepius declaratae fideliter obsecuti, Scripturam divinam omnibus temporibus Christiani summopere reverebantur sanctique Patres ac Doctores Ecclesiae laudibus summis ornabant, et non tantum ipsi assidue legere et scrutari perseverabant, sed etiam ceteros fideles ad idem studium adhortabantur. Rerum christianarum auctores memoriae produnt, prima praecipue post scriptas litteras apostolicas aetate fideles probos summa industria s. Scripturam legere consuevisse, non minore autem studio concionibus episcoporum interfuisse, haud immemores Domini monentis:²¹⁾ „Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illum.“ Nec mirum. Quum ipse s. Gentium Doctor Thessalonicenses²²⁾ adiuravisset, ut epistola sua legeretur omnibus sanctis fratribus, et in epistola ad Colossenses scripsisset: „Cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut et in Laodicencium ecclesia legatur et eam quae Laodicencium est vos legatis“²³⁾: Episcopi quoque qui apostolis succedebant idem monere minime dubitaverunt, et fideles illius aetatis evangelia et epistolas apostolorum pretiosissima eorum monumenta iudicantes accuratissime asservabant ac die Dominica publicae eorum lectioni assiduo interesse et quae audierant in dominibus suis relegere solebant: quam consuetudinem servandam iubet s. Joannes Chrysostomus saepius in homiliis admonens fideles, ut ex ecclesia domum reversi coniuges liberosque convocarent et ea de quibus conciones audissent in libris sacris relegrent et meditarentur. Et quis est qui ignoret, dum s. Scriptura sensu fideliproboque et Ecclesia auctore, duce ac magistra legeretur, fructus praeclaros in admiratione dignos ex hac lectione profectos esse? Firmissima in Jesum

²⁰⁾ IV. decret. de canon. script. ²¹⁾ Luc. XI. 28. ²²⁾ 1. Thess. V. 27. ²³⁾ Col. IV. 16.



Christum fides, quam apostoli in litteris suis produnt, et amor summus, quo in illum flagrantes apparent, sincerum in cordibus legentium excitavit ardorem ac singularem in confitendo religionem eius constantiam, viva Salvatoris affliti et morientis descriptio flamas amoris celestis in illis accendit et ad imitandam patientiam eius et obedientiam illos stimulavit; maximis benevolentiae et misericordiae divinae documentis quin ad pietatem amoremque fraternum raperentur fieri non potuit; plurimae denique eaeque gravissimae ad clementiam, aequitatem, cordis puritatem admonitiones, coniunctae cum praeclaro Magistri exemplo, infixae haerebant animo legentium et mores eorum vitamine omnem dirigebant et moderabantur. Inde exstiterunt primis religionis Christianae temporibus integra illa ac sincera cordis humilitas, castitas, modestia; inde illa in persecutionibus constantia et patientia; inde singulare illud desiderium durissimos quosque labores, acerbissimam quamque miseriam pro Christi nomine perferendi: quibus virtutibus maxime ingenuis non pauci sed omnes illi excelluerunt fideles, qui et ad audiendum et ad legendum verbum Dei erant propensi. Quodsi igitur summae utilitatis, quae ex illo divino libro vitae percipi possit, testes desideras; innumeros, quaequo, respicias illius aetatis martyres, virgines, confessores, quos non unquam posteris saeculis invenies tantos, tam multos candidos et ingenuos. Quamobrem complures Christianorum persecutores, in iis imperator Diocletianus, maximo conatu studioque id agebant, ut libri divini ubique locorum investigati igne consumerentur, extinctis libris sacris religionem ipsam extinctam fore falso opinantes; sed licet nonnulli Christiani ut cruciatuſ persecutionum effugerent, s. Scripturam ini-
micis Ecclesiae tradere et Christum coram hominibus negare ausi sint, tamen probo cuique indigni isti tradidores, ad terrorem ceterorum a communione ecclesiatica sciuneti, maximo contemtui erant, atque quam plurimi Christi fideles statuerunt contumeliam, vineula, omnem cruciatum perferre potius, quam ut pretiosissimo thesauro tradito fidem proderent et Dominum ignominia afficerent. Quo plura s. librorum manuscripta illis eripiebantur, eo maiori studio et industria litteras apostolicas legebant et meditabantur, nec defuerunt fideles, qui omnem s. Scripturam memoria tenerent; ut verissime dici liceat, extinctis omnibus s. libris totam Scripturam in cordibus fidelium inveniri indeque restitui potuisse, et sicuti sanguis martyrum semen fuerit Christianorum, ita cinerem librorum combustorum novos libros protulisse. —

§. 5.

A busus s. Scripturae.

Verumtamen nec omnibus fidelibus nec omni aetate tantae utilitatis fuit s.

Scriptura, sed ex eodem libro divino, qui plurimis maxima virtutis emolumenta praestitit, complures etiam summam perniciem mortemque aeternam sibi metipsis et aliis concitarunt, non integro sensu s. librum legentes nec iustum viam ingressi ad eam intelligendam. Sicuti ipse Redentor noster Jesus Christus discipulos adhortabatur ²⁴⁾: „Attendite a falsis prophetis“, et enixe monebat ²⁵⁾: „Videte, ne quis vos seducat; multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent“: ita etiam s. Paulus distinctis verbis praedixit, ex ipsis Episcopis et magistris viros exsurrecturos esse perversa loquentes ²⁶⁾; ita s. Petrus affirmat, „in epistolis s. Pauli quaedam difficultia esse intellectu, quae indocti et instabiles depravaturi essent, sicut et ceteram Scripturam ad suam ipsorum perditionem ²⁷⁾“. Quaeque illi praedixerunt, citissime impleta sunt: iam enim prima illa christiana religionis aetate, id quod sane summopere dolendum est, complures extiterunt, qui falsas ac perversas doctrinas praedicabant easque verbis ipsius s. Scripturae turpiter ac nefarie depravatis confirmare conabantur, quo facilius indoctam plebem christianam fallerent et discipulos sibi conciliarent. Nec mirum, quod id ex sententia illis successit, dummodo considerare volueris, eos contemta Ecclesia magistra sive singulos Scripturac divinae locos ordine et contextu exemptos ex arbitrio suo perverse interpretatos esse, sive sententias apostolorum opinionibus suis non convenientes indigne mutilasse et violenter detorsisse; dumque reputaveris alios ex his falsis prophetis, ut sensibus hominum blandirentur scelera clandestina vitamque improbam, modo in occulto ageretur, defendere et infirmitate humana saepius in s. libris praedicata excusare contatos esse, alios autem suam et aliorum superbiam confirmasse et auxisse contendendo, ab unoquoque Scripturam sine duce ac magistro legitime explicari posse. Cuius rei testes sunt plurimi s. Patrum, in iis Clemens Alexandrinus, qui Strom. lib. VII. cap. 16. scribit: „Οἱ δὲ ἡδοναῖς αἰράς αὐτοὺς ἐκθεμακότες βιδέζονται πρὸς τὰς ἐπιθυμίας τὴν γραφήν. — — Οἱ τὰς αἰρέσεις μετίοντες — ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας“; in iis etiam s. Ambrosius qui in commentar. ad Joann. apocalyps. c. 22. affirmit: „Haereticos ergo Joannes maledicit, qui in Scripturis divinis ad confirmandam haeresim suam quaedam falsa apponebant, et quaedam detrahebant, quae eorum haeresi videbantur esse contraria.“ Idemque s. Episcopus Mediolanensis in comment. ad Evang. Luc. cap. 4. postquam dixit, diabolum a Domino, quia Scripturarum praetendisset exemplum, Scripturarum victum

²⁴⁾ Math. VII. 15. ²⁵⁾ Math. XXIV. 4 — 5. ²⁷⁾ Act. XX. 29 — 30. ²⁷⁾ 2 Pet. III. 15 — 16.

esse exemplis, his verbis admonet Christi fidelem: „Disce hic quoque, quia Satanus — de Scripturis ipsis saepe divinis laqueum fidelibus parat. Sic haereticos facit, sic eviscerat fidem, sic iura pietatis impugnat. Ergo non te capiat haereticus, quia potest de Scriptura aliqua exempla proferre. Utitur et diabolus testimoniis Scripturarum, non ut doceat, sed ut circumscribat et falso lat.“ Quantopere dolendum est, tam multos nefariis diaboli eiusque sociorum dolis captos esse et tristissimam sane perniciem sibi contraxisse obtemperando illis „caecis ducibus caecorum“²⁸⁾, quantopere dolendum, quod tam multi fideles perversa illa usi Scripturas legendi et explicandi ratione librum divinum in librum mortis converterunt, omnemque animi sui tranquillitatem ac pacem sustulerunt! quamquam facillum illis fuit, pravitatem nefariae illius rationis perspicere. Omnes fere quotquot exstiterunt haeretici doctrinas suas exemplis Scripturae defendere ac confirmare conati sunt; sed omnes haereticorum opiniones inter se contrariae etiam iis repugnant, quae docet ac docuit s. Ecclesia catholica. Quid igitur? Num Christus Dominus, qui est „via, veritas et vita“²⁹⁾ diversa inter se et repugnantia docuit? Nihilne refert, quomodo doctrinae eius explicentur³⁰⁾? Divisus est Christus³¹⁾? — Absit; „unus Dominus, una fides, unum baptismum; unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis“³²⁾. Redemptor noster Jesus Christus nec omnibus tradidit Spiritum veritatis et solam Ecclesiam, quam aedificavit super petram, ab omnibus fidei erroribus salvam esse voluit, ut „portae inferi adversus eam non praevalerent.“³³⁾ Quod quibus persuasum erat, diligenter cavebant, ne ab haereticis deciperentur neve sibimetipsis nimium confidentes incaute legerent Scripturam erroresque incurrerent; nec aspernabantur institutionem s. Patrum et Doctorum Ecclesiae clarissimorum, qui Spiritu sancto cooperante Scripturam scrutati omnes errores haereticorum detectos refutarunt et veram Ecclesiae fidem magnopere illustrarunt.

At posteriore aetate non minus periculum Ecclesiae imminebat; quippe quum religione christiana ubique terrarum florente, et inimicis eius fere omnibus oppressis permulti invenirentur non re sed nomine Christiani, qui mundanis rebus intenti studia religionis remitterent; qui nullo fervore cœlesti ac desiderio incensi verbum divinum et audire et legere negligerent; qui demum praceptorum Christi omnino ignari improbis quibusque seductoribus obnoxii essent; ita ut in quibusdam Galliae regionibus Albigenses et Waldenses turpissimam haeresin disseminantes iniqua s. Scripturae interpretatione plebem rudem et incautam ad socelera quaque nefastissima abducerent.

²⁸⁾ Math. XV. 14. ²⁹⁾ Joann. XI. 6. ³⁰⁾ Gal. I. 6 — 9. Joann. VI. 60 — 69.
³¹⁾ 1 Cor. I. 12 — 13. ³²⁾ Eph. IV. 4 — 5. ³³⁾ Math. XVI. 18.

Omnium autem perniciosissima saeculo sedecimo ineunte exstitit ratio illorum hominum, qui religionis christianae novanda studio incensi, auctoritate Ecclesiae catholicae superbe contemta, Scripturam divinam indigne depravatam ac magnis iisque gravissimis partibus spoliatam non modo perperam interpretati sunt, sed etiam in linguis vulgares inique conversam in lucem protulerunt. Quo facilius quod volebant consequerentur, illas s. Scripturæ turpi contumelia affectae editiones et versiones sexcenties multiplicabant, magnopere adiuti nuper detecta arte typographica; atque hoc evangelium perversum et mutilatum plebi indoctae distribuendum curabant, omnes enixe hortati, ut hunc librum sane pestiferum diligenter legerent, et ex suo quisque arbitrio explicarent. Nec in his acquiescebat illi religionis novatores, sed praeterea Ecclesiam catholicam acerbe graviterque accusabant, quod fideles suos s. Scripturam legere vetaret et scientiae ac doctrinae melioris lueem extingueret, quodque libertatem fidelium iniuste coiceret, et iugum intolerabile illis imponeret: quibus calumniis nil aliud efficere voluerunt, quam ut partibus suis studentes ab antiqua matre Ecclesia quam plurimi deficerent. Quanquam non potest negari, sane impiissimum esse studium verbum divinum sempiternum et immutabile novandi ne dicam corrigendi: prospere tamen conata illis succeedebant; sed quae illam consilii viam secuta sunt, quantaque mala ac detimenta in omne genus humanum et imprimis in ipsos novatores redundarunt, monumentis rerum gestarum eruentis litteris inusta sunt; nec quenquam inveneris generis humani studiosum, qui sine summa miseratione illam tristissimam aetatem animo reputare possit, qua fides ac reverentia erga **Jesum Christum** labefactata et dubitandi libido coorta multos ad tantam impietatem adduxit, ut auctoritatem Ecclesiae despicerent cultumque divinum contemnerent; qua servi Domini ab impiis hominibus conculeati, templa Dei ornamenti destituta ac desolata, gentes christianaे discordiis civilibus turbatae, iura divina et humana violata, sanctissima quaeque Iudibrio impio affecta sunt; qua seductores nefarii s. Scripturam manu tenentes ubique locorum circumvagabantur, falsas opiniones suas ut verbum divinum praedicantes, et superbiam, luxuriam, pravos mores docentes; qua demum homines imperiti, ne primis quidem litteris imbuti, Scripturam divinam explicare et ex suo arbitrio religionem contorquere conabantur. O insolentem hominum superbiam, quae quod ipsis angelis non est concessum, videre auderet, o miseram sapientiam mundanam, quae nec Deo nec Ecclesia adiuvante divina intelligere vellet! Verum enim vero Deus Dominus abscondit vera ab oculis eorum, ut videntes non cognoscerent; et excavavit cor eorum, ut scrutantes non intelligerent³⁴⁾! — —

³⁴⁾ Isaías VI. 9 — 10. Joann. IX. 39. Luc. XIX. 42.

§. 4.

Quid censuerint s. Patres de s. Scripturae lectione.

Qua autem ratione haec tanta pericula depellenda censuit s. Ecclesia, mater fidelium sapiens ac provida? Quodsi illud studium, s. Scripturam quovis modo distribuendi et disseminandi probasset, certissime compluribus fidelibus, ut verbis s. Clementis Alexandrini Strom. lib. I. utar, ipsa dedisset gladium, quo animum immortalem perderent; neque reverentiam s. Scripturae praestitisset, affirmante Domino, qui: „Nolite, inquit, dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos³⁵⁾.“ Neque vero unquam plane oppositam viam ingressa omnibus fidelibus libros divinos interdicere cogitabat. Licet enim teste s. Hieronymo omnibus Judaeis ante trigesimum aetatis annum initium Genesis, Canticum canticorum, exordium et finem Ezechieli prophetae legere synagogae decreto interdictum esset³⁶⁾; Ecclesia tamen catholica neque hoc decretum renovavit, neque unquam tanta in omnes fideles severitate usus est. Quum autem non ignoraret, quanta plenitudine scientiarum et geographicarum et historicarum et complurium aliarum opus esset ad intelligendam s. Scripturam, atque in quantas animi perturbationes complures eius loci obscuri incautum coniicere, quam facile demum litterae divinae ab hominibus impiis et superbis ad perniciem converti possent, non omnibus aditum ad Scripturam dedit et unicuique maximam in legendō commendavit diligentiam, idque inde ab antiquissimis ad nostra usque tempora. Prima illa christianaē religionis aetate non quidem distinctae ecclesiasticæ constitutiones hac de re latae sunt: quid autem senserit tunc temporis Ecclesia, ex operibus s. Patrum et Doctorum praeclæris dilucide appetet. Quodsi igitur diligenter advertere volueris ad ea, quae de hac re dixerunt viri illi clarissimi, certe negare non poteris, saepius Christianos ab ipsis ad legendam s. Scripturam et meditandam admonitos esse idque gravissimis verbis precibusque curatissimis; non minus vero perspicuum erit, illas admonitiones sive non ad omnes Christianos pertinere sive coniunctas esse cum acerrimis praeceptis, ut summa diligentia legerentur libri divini, neve a quoquam in perniciem converterentur. Alienum est a proposito nostro, quaecunque s. Patres eo spectantia dixerunt, proponere, praesertim quum complures viri eruditæ illa collegerint; hoc autem notandum videtur, quod alii inde coniecerunt, s. Patres omnibus Christianis lectionem s. Scripturae commendasse, alii autem contendere voluerunt, solos eruditos ab illis ad id studium incitatos esse. Utrisque quae agebant ex sententia

³⁵⁾ Math. VII. 6. ³⁶⁾ S. Hieron. pref. in Ezech.

successerunt, quippe quum singulos tantum locos operibus eorum exemtos respicerent, cetera omnino negligentes: quisquis vero consilium s. Patrum consideraverit, singulis locis inter se comparatis, fieri non potest quin cognoscat, omnes illos Ecclesiae Doctores communi consensu Scripturam summis laudibus celebravisse magnamque eius utilitatem praedicavisse, dummodo sensu sincero menteque bene instituta ac disposita, duce Ecclesia legeretur; eodem autem consensu omnes etiam atque etiam monere, ne quis a paeceptis Episcoporum et ab interpretatione authentica discederet: id quod Ecclesia catholica semper et ubique de lectione s. Scripturae cogitavit et docuit. Pauca ad hanc sententiam probandam sufficient exempla. —

S. Hieronymus, acutissimus maximeque insignis s. Scripturae interpres, quanquam saepissime studium ipsius commendat et piam Demetriam admonet ut tanta industria et assiduitate eam legeret et meditaretur, ut caput somno oppressae demissum in s. librum delaberetur et requiesceret, idem in epistola ad Paulinum scribit: „Haec a me perstricta sunt breviter ut intelligeres te in Scripturis sacris sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi. — Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri, sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. — Hanc (Scripturam) garacula unus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesument, lacerant, docent antequam discant.“ —

S. Irenaeus adv. haeres. lib. III. cap. 20. scribit: „Confugere oportet ad Ecclesiam et eius sinu educari et dominicis Scripturis enutrir“³⁷⁾, etsi cap. 34. omnes de communi adhortatur: „Legite diligentius id quod ab apostolis est Evangelium nobis datum et invenietis omnem doctrinam.“

S. Clemens Alexandrinus compluribus locis omnes ad legendum invitans, omnes etiam docet, quanta pericula cum lectione s. Scripturae coniuncta sint, quae ab impiis ad suas libidines contorqueatur (vid. sup.) atque Strom. lib. VII. cap. 16. firmissime asseverat, „non solum iis, qui temere et impereit incident in Scripturas, adeo difficilem esse disquisitionem veritatis, sed et his, quorum sit propria scientia“³⁸⁾.

S. Ambrosius licet Comment. in Psalm. 41. dicat: „Ergo remedium omnium taediorum Christus et Scriptura divina atque in temptationibus unum refugium“: idem quid de haereticis impie s. libros tractantibus scripsert ante vidimus; idem Scripturam librum appellat sacerdotum, infirmis periculosum³⁷⁾; idem contendit: „Quisquis moralem et spiritalem intelligentiam in Scripturis divinis investigare desiderat, necesse est, ut historiae intelligentiam prius possideat³⁸⁾.“

³⁷⁾ S. Ambros. de fide. lib. III. cap. 7. ³⁸⁾ Exposit. in Joann. apocal. cap. 22.

S. Augustinus, quem singulos universosque enixissime ad legendum adhortatum esse inimici Ecclesiae magnopere gloriantur, certissime quidem dicit³⁹⁾: „Quisquis id, quod tu (Deus) omnibus ad fruendum proponis, sibi proprie vindicat et suum vult esse, quod omnium est, a communi propellitur ad sua, hoc est a veritate ad mendacium“; et iterum⁴⁰⁾: Quia forte multi vestrum legere non possunt, quia eis non vacat legere aut litteras non norunt, saltem assidue audiendo non obliviscantur salubrem fidem suam“; et de novo in sermone 36. de temp.: „Lectiones divinas et in ecclesia sicut consuevistis audite, et in domibus vestris relegate“; neque id impugnabimus, quod fratres in eremo iterum iterumque ad legendum incitaverit. Audiamus autem eundem s. Doctorem sibi amicum Honoratum, quem ab haeresi Manichaeorum revocare studet, his verbis castigantem⁴¹⁾: „Nulla imbutus poetica disciplina Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes; — in libros sanctos sine duce irruis et de his sine praeceptore audes ferre sententiam“? dein consideremus eum dixisse⁴²⁾: „Et diligentia igitur et pietas adhibenda est: altero fiet, ut scientem inveniamus, altero ut scire mereamur;“ nec negligamus, omnes ab eo admonitos esse dicente⁴³⁾: „Quisquis falli metuit, huius obscuritate quaestio[n]nis eandem Ecclesiam consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat: demum quis nesciat, eundem varia de ratione legendi praecepta dedisse, praesertim in libro de Doctrina christiana, ne quis librum divinum in perniciem suam aut aliorum converteret. — — Ex his testimoniis vera illa quam proposui sententia s. Patrum affatim illucescit, nondum autem tunc temporis s. Ecclesiae obvenit necessitas, generalia de hac re dandi praecepta. Quanquam enim et illa aetate iam complures exstiterunt haeretici et improbi homines, qui s. Scriptura abuti auderent, tamen longe maxima pars fidelium illis seductoribus contentis et repudiatis auctoritatem pastorum catholicorum plurimi faciebant, nec s. libros legebant, nisi Ecclesia duce et Episcopis auctoribus; quorum ab interpretatione tantum aberat ut unquam discessissent, ut eorum concionibus assidue interessent et in legendō eorum institutioni et consilio libenter ac prompte obsequerentur: id quod non solum insignes viri catholici constanter affirmarunt, sed etiam iusti ac moderati protestantes agnoverunt.⁴⁴⁾

³⁹⁾ S. August. confess. lib. XII. cap. 25. ⁴⁰⁾ Serm. 2. in Psalm. 90. ⁴¹⁾ De utilitate credendi. cap. 7. ⁴²⁾ De moribus eccl. cath. lib. I. cap. 1. ⁴³⁾ Cont. Crescon. lib. I. cap. 33. ⁴⁴⁾ Conf. Feerlons Schreiben an den Bischof zu Arras über das Bibellesen in der Landessprache. Nro 4. — — Lessing im 5. Bande der Beiträge zur Geschichte und Litteratur. S. 171.

§. 5.

Decreta Ecclesiae.

Posterioris autem saeculis quum magna perversionis et improbitatis pericula fidelibus imminerent, Ecclesia coacta est, distincta praecepta tradere de lectio-
ne s. Scripturae. Primum quidem illa aetatae, qua tristes illae et indignae
Waldensium et Albigensium perturbationes exortae erant, Episcopi Galliae Tolosae congregati (a. 1229.) canone XIV. Christianos illarum Galliae regionum
quoscunque V. et N. T. libros solo Psalterio excepto secum ferre vetuerunt.
Sieuti hoc mandatum ex provida cura, qua illi Episcopi fideles sibi commissos
prosequebantur, erat profectum, ita non minus illa, quae a sacrosancta et oe-
cumenica Synodo Tridentina omnibus omnium gentium fidelibus iniuncta sunt,
praecepta egregiam sapientiam et amorem Patrum huius concilii declarant. Haec
enim s. Synodus Tridentina, non ignorans, quanta copia cognitionum diversa-
rum opus sit ad s. libros rite explicandos; non ignorans, quot et quanti errores
compluribus quae illa aetate circumferebantur editionibus et versionibus s. Scrip-
turae continerentur; non ignorans demum, quanta contumelia et superbia plu-
rimi illam tractarent, et quam falso et perperam explicarent, quam foede mu-
tilarent et lacerarent, ad salvandos omnes fideles non quidem s. libros omnibus
interdixit, sed plura decreta fecit eaque saluberrima de lectione et usu s. Scrip-
turae: quae si proponam singula, operaे pretium me facturum confido.

1mo S. Synodus praecepit, ut omnes editiones s. Scripturae, sieuti quicunque li-
bri de rebus sacris, ab Ordinario examinarentur, et statuit, „ut nulli liceat sub-
poena anathematis, quosvis eiusmodi libros imprimere aut imprimi facere, ne-
que illos vendere aut etiam apud se retinere, neque legere aut cum aliis com-
municare, nisi antea ab Episcopo ordinario examinati et probati fuerint.“) —
Hoc est revera munus gravissimum a Christo Domino Ecclesiae traditum, ut
continuo conservet et custodiat veram et incorruptam doctrinam christianam,
et diligenter provideat, ne qua falsa et perversa doctrina fidelibus tradatur.
Nonne igitur maximas gratias agere debemus Ecclesiae nostrae, quod tam pro-
vide curavit, ut fideles a veneno haereticorum, quo complures editiones et ver-
siones Scripturae callidissime imbutae sunt, hac ratione defendantur? nonne
ingratissimi acerbissimaque poena digni censendi sunt, qui hoc praecepto con-
tempti libros ab infidelibus sive a societatibus bibliis donatos legere et usur-
pare ausint?

2do. „Ad coercenda petulantia ingenia decernit sacrosancta Synodus Tri-

⁴⁵⁾ Sess. IV. decret. de editione et usu s. librorum.

dentina, ut nemo suae prudentiae innexus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianaे pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctorum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent⁴⁶⁾.“

Hoc consilio Christus Dominus Ecclesiam suam ab omnibus fidei erroribus tutam reddidit, ut ipsa perpetuo fons vivus doctrinae suae maneret; nec est quisquam praeter illam, qui confidere possit, sibi Spiritum privatum incognoscendis rebus divinis assuturum, aut gloriari, se nulli errori esse obnoxium. Iesu Christi mandatum: „Audite Ecclesiam; quisquis Ecclesiam non audierit, sit tibi sieut ethnicus et publicanus“, ad omnes pertinet cuiusque temporis christianos: vae illi, qui id contemnere ausit! Quisquis autem catholicae fidei addictus animo modesto ac prompto Ecclesiae paruerit: tantum abest, ut infernabili iugo prematur, ut maxime fortunatus praedicandus sit, quod perpetuo ad illam petram se applicare potest, adversus quam portae inferi nihil praevalent: quam infelices contra catholici essent et inopes omnique auxilio destituti, quantis periculis malisque obnoxii, si ex suo arbitrio s. libros interpretari deberent; quam multis curis et dubiis implicarentur, si regulas fidei et morum sibi ipsi constituere coacti essent ex libro illo, divino quidem sed multis locis obscuro, in quo sine duce viam monstrante circum errarent tanquam in labyrintho, nec filum salutis invenire possent! Ut navis in mari turbido et procelloso sine gubernatore undis vehementibus hinc inde agitatur, nec portum consequi potest, sed in saxa et scopulos delata sive aquarum gurgite demersa miserrime debet interire: ita christianus sine duce et magistro in s. libris circumvagans maximo enique malo obnoxius est, nec unquam ad locum pacis et quietis pervenire potest, sed in summam miseriam praecipitabitur. Quapropter quo felicius fideles ab illis periculis defenderentur, eadem s. Synodus illi mandato admonitionem subiungit, „ut quia christianaë reipublicae non minus necessaria esset praedicatio Evangelii quam lectio, episcopi et ecclesiarum praepositi, si legitime impediti non fuerint, dominicis saltem diebus et festis sollemnibus ad praedicandum plebi sibi commissae sanctum Jesu Christi Evangelium accingantur, ne illud impleatur: Parvuli petierunt panem et non erat, qui frangeret eis (Lamentat. Jerem. IV. 4),⁴⁷⁾ et praeterea mandat, „ut populum diligenter moneant, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode fi-

⁴⁶⁾ Sess. IV, loc. cit. ⁴⁷⁾ Sess. V. de reform. cap. 2.

eri possit ad audiendum verbum Dei“.⁴⁸⁾ — His igitur praeceptis optime provisum est, ut sinecurs quisque fidelis in legendis s. Scripturam duce pastore verum et integrum sensum videre, nec minus ut indocti, licet ipsi sive cognitione sive otio deficiente s. libros adire et legere nequeant, tamen incorruptam et integrum doctrinam christianam doceri possint, dummodo utrique attente et devote concessionibus et institutionibus pastorum interesse voluerint: id quod s. Paulus his verbis exprimit: „Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.“⁴⁹⁾ — Quam ingrato et impio animo sunt illi, qui praedicationem Evangelii et institutiones Ecclesiae contemnunt, falsa opinione ducti, se non indigere aliorum institutione, sibique sufficere rationem suam et Scripturam divinam! —

5to. „Eadem sacrosancta Synodus, ne celestis ille s. librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, statuit et decrevit, ut in omnibus Ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus ab episcopis idoneus vir eligendus sit, a quo lectio s. Scripturae instituatur, illae vero Ecclesiae, quarum annui proventus tenues fuerint, saltem magistrum habeant, ab episcopo eligendum, qui clericos aliasque seholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacrae Scripturae studia annuente Deo transire possint“. Cui decreto s. Patres concilii intimum desiderium subiungunt, „ut in gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica et ceterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum ac Rerumpublicarum pietate et caritate ad catholicae fidei defensionem et incrementum sanaeque doctrinae conservationem et propagationem instituantur, et ubi instituta foret et negligeretur, restituatur“.⁵⁰⁾ Illud decretum et hoc desiderium manifesta sunt documenta, quanto studio Ecclesia id egerit, ut fructus s. Scripturae omnibus fidelibus suppeditarentur, et ut verbum divinum probo cuique sit utilitati et saluti: unde igitur benevolia Ecclesiae sapientia luce clarius apparet, et nefaria quaeque inimicorum opprobria omnino falsa et invalida conspiquantur. — Utinam — non enim alienum videtur ab hoc loco, id quod ex intimo corde opto, quodque plurimis fidelibus est in optatis, pronuntiare — utinam omnes religiosissimi Principes et Republicae illi desiderio s. Synodi satisfacere et curam gerere velint, ut in *gymnasiis publicis* s. Scripturae lectio aliquod tempus concedatur, salvis tamen et integris reliquis quae ad religionis studia pertinent institutis! etiamsi enim nostra *gymnasia* non omni ex parte illis exaequantur, quae aetate concilii Tridentini extiterunt, tamen dubium non est, quin tali institutione iuvenum studiosorum fides ac religio magnopere augeri et confirmari possit.

⁴⁸⁾ Sess. XXIV. de reform. cap. 4. ⁴⁹⁾ Rom. X. 17. ⁵⁰⁾ Sess. V. cap. 1, de reform.



Ato. Denique s. Synodus Tridentina „temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertantur et torqueantur s. Scripturae verba, ad scurrilia scilicet, vana, fabulosa — mandat et praecepit ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne quisquam verba s. Scripturae ad haec et similia audeat usurpare, et ut omnes huius generis homines temeratores et violatores verbi Dei poenis per Episcopos coercentur“.¹¹⁾ Qua ratione Ecclesia nostra praeclarius potuit providam sapientiam et reverentiam veram erga s. libros prodere? qua maiore vi et industria ad eandem reverentiam fideles provocare? quanquam sane tristissimum est, Christianos ad id temeritatis pervenire posse, ut tanta contumelia afficiant verbum divinum; nec negandum, talem impietatem, etiam nostra aetate non omnino extinctam, ex perversa s. librorum lectione facillime proficisci. —

Ad haec ipsius s. Synodi mandata accedit regula quarta indicis librorum prohibitorum, quae a pluribus Patribus, quibus hoc munus commisum erat, constituta et a summis Pontificibus Pio IV., Clemente VIII., Benedicto XIV., pluribus aliis comprobata saepissime ab inimicis Ecclesiae conviciis acerrimis petita et foedissime increpata est. Sed non est cur haec constitutio a quopiam improbetur; minime enim Patres illi ac Pontifices omnibus fidelibus Scripturae fructus abriperere eosque aditu ad illam prohibere, sed modo s. libros ab irreverentia defendere et saluti fidelium prospicere voluerunt. Ne scilicet s. Scriptura manibus impiorum violenter tractaretur, neve fideles ea abuterentur, quarta illa indicis regula mandatum est, „ut nemo si bi praesumeret sua ipsius sola auctoritate illam legere, ab Episcopis autem cum consilio parochi vel confessarii Bibliorum Catholicis auctoribus versorum lectio in vulgari lingua concedi posset illis, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum sed fidei et pietatis augmentum capere posse.“

Tristissima illius aetatis experientia praesides Ecclesiae satis edocti erant, plebem christianam antiqua primorum fidelium simplicitate, humilitate, obedientia et cordis puritate destitutam ac mentem animumque plurimorum rudiorem esse, quam ut lectio Scripturae illis salubris esse posset; innumerae miseriae belli horendi a rusticis concitati illis ob oculos versabantur portenti instar acerrime monentis, quanta damna facillime oriri possent, si imperitus quisque nulla institutione praevia dispositus s. libros legere et explicare praesumeret. Quamobrem illa regula quarta indicis, quae a Clemente VIII. necessitate urgente paullulum intenta, a Benedicto XIV. autem moderata est, minime abhorret a sententia s. Patrum, qui certe idem constituerunt pari severitate, si

¹¹⁾ Sess. IV. decret. de canon. script.

eadem pericula primis Ecclesiae temporibus cum illa lectione coniuncta fuissent. Quid igitur est cur providam Ecclesiae praesidum sapientiam agnoscere iisque debitas gratias referre dubitaveris, " qui studiosissime id egerunt, ut fideles cum parochiis et pastoribus intima caritate coniuncti et illis ducibus ac magistris s. libros pio animo legentes integrum religionem inde cognoscerent. Neque etiam Pius VII. Pontifex maximus, cuius de Ecclesia optime meriti memoria gloriosa in sempiterna benedictione erit, iustum ac piam lectionem, sed solum impium abusum Scripturae fidelibus interdixit; quanquam societas illas biblicas acerrimis verbis castigavit easque in litteris ad Archiepiscopum Poloniensem „*va ferrimum inventum pestemque nefariam*“ appellavit. Idque summo iure: ut enim societas illae optima quaque sibi proposuerint, nunquam tamen quo intendunt pervenient, nec via quam ingressi sunt turpissima plurimisque exitiosa cuiquam probanda est. Idem vere Pont. max. Pius VII. postquam et ipse regulam illam quartam indicis observandam ussit: „*Standum est, inquit, salutari decreto Congregationis indicis (15 Junii 1757), Bibliorum versiones vulgari lingua non esse permittendas, nisi quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut cum annotationibus editae ex sanctis Ecclesiae Patribus.*“ Quae quidem approbatio apostolica saepius summa cum benevolentia et novissime Versioni germanicae a viro clarissimo Allioli editae concessa est, ita ut fideles facillime aditum ad Scripturam divinam sibi comparare possint. Verum tamen probi Christiani non obliscentur constitutionum apostolicarum, nec tanta illis erit irreverentia, tam parva salutis cura, ut sua ipsorum auctoritate confisi nullo duce s. libros legere praesumant. Non adeo rara sunt nostris temporibus exempla, quod impii homines tali superbia inflati ad terrorem ceterorum pestiferum ex s. libris ebiberint venenum, ex quibus aquas sapientiae salutaris haurire debuissent. — Quodsi sapientia Ecclesiae iam ex iis quae haetenus proposui, dilucide perspici licet; providentia benevolia qua omnes fideles prosecuta est multo magis inde illucescit, quod ipsa omnibus ad praeclarum illum vitae ac salutis fontem aditum facilem paravit. Ne enim omnibus illis, quorum ob quascunque causas esse nequit, librum divinum integrum habere, legere et scrutari, plenitudo verbi divini omnino eripiatur, non tantum concionibus publicis doctrinam sanctam docendam statuit, sed etiam provisum est ab Episcopis, ut summaria et excerpta ex V. et N. T. vulgari lingua conscripta et annotationibus s. Patrum idoneis munita plebi christiana tradantur, quibus vita et mores insignium virorum V. et N. T. et imprimis Jesu Christi Domini nostri eiusque discipulorum continentur atque illae potissimum religionis partes, quae ad fidem confirmandam et augendam moresque instruendos maxime sint apta et consentanea. Huius

modi libros ab Episcopis recognitos et approbatos iam in scholis minoribus a parvulis legendos iussit s. Ecclesia, mater benevolia, cuius est intimum desiderium ut omnes fideles illa excerpta ex s. libris inde a prima iuventute diligentissime legentes et studiodissime regustantes in succum et sanguinem convertant, et ut illa summaria perpetuo maneant delectationi familiarum fidelium omnibusque sint augmento fidei et aedificationi. Praeterea eadem Ecclesia librum edendum curavit, quo illae Evangeliorum et Epistolarum apostolicarum partes lingua vulgari continentur, quae dominicis diebus a sacerdotibus in ss. Missae sacrificio recitari et in concionibus explicari solent, quo facilius fideles fidei doctrinas percipere eiusque scientiam in dies augere possint⁵²⁾. Illis autem qui non inviti Ecclesiae mandatis obsecuti haec ratione pium sensum consevarunt magnoque desiderio incensi tenentur, cognitionem verbi divini amplius augendi et doctrinas Jesu Christi omni ex parte perspiciendi, illis qui vere esuriunt et sitiunt iustitiam s. mater Ecclesia benevolentissime s. librum integrum offert, pueris lac, adultis duriorem praestans cibum⁵³⁾; attamen etiam illis more s. Patrum studiose commendat vigilantiam et curam, ne superbia commoti suam potius quam omnipotentis Dei gloriam quaerant, neve curiositat suae potius quam saluti satisfacere studeant.

§. 6.

De iusta ratione legendi s. Scripturam.

Sinceris fidelibus praecepta singularia de iusta s. libros legendi ratione certe saluberrima erunt; quisquis vero sua sapientia fretus s. Scripturam nemine viam monstrante legit, hanc solam ob causam minime ita dispositus est, ut ex hac lectione fructus salutares percipere possit, et omnia quamvis vera et proba quaecunque illi dantur praecepta nil utilitatis illi afferent. Quapropter illos solos, qui prompte obtemperant Ecclesiae, iterum iterumque monitos velim, ut antequam legere accingantur, exemplum egregium illustrum maximeque eruditorum sed corde humilium s. Patrum animo proponant, in iis Pontificis max. Gregorii Magni, qui non unquam divinas Scripturas legere ausus est, nisi antea verba Psalmistae recitaverat⁵⁴⁾: „Declinate a me maligni et serutabor mandata Dei mei“; ut respiciant exemplum plurimorum antiquae aetatis fidelium, qui non modo reverentiam suam erga s. libros exornando et osculando declarabant, verum etiam ut sine ulla perturbatione legere et medi-

⁵²⁾ Ephes. I. 17 — 18. Coloss. I. 10. ⁵³⁾ 1 Cor. III. 2. Heb. V. 12. ⁵⁴⁾ Psalm. 118. vers. 115.

tari possent, ex turba et colluvione mundi decedentes in deserta sese abdiderunt; reminiscantur quaeso s. Archiepiscopi Caroli Borromaei, qui non legebat s. Scripturam, nisi flexis genibus et nudo capite. Quibus illustribus exemplis incitati omnes eandem viam ingredi et primum quaevis impedimenta turbantia removere studebunt, praesertim curas quasque mundanas, perniciosos quoque sermones, cogitationes, actiones et quidquid prohibere potest, quomodo animum intendant et semina verbi divini bona mente suscipient: id quod s. Augustinus his verbis exprimit: „Omissis et repudiatis nugis theatricis et poeticis divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum“.⁵⁵⁾ Qui enim fieri poterit, ut animus, qui libris lascivis et turpibus delectatur, ex lectione s. Scripturae bonos fructus percipiat? qui, ut homines voluptatibus dediti, quorum mens maculata est mollibus ac lascivis imaginibus, ad divinas et sanctas res cum gaudio accedant? Ne igitur „videns non videas et audiens non intelligas“:⁵⁶⁾ mens et cogitatio a vanis et perversis rebus removenda est et cum reverentia ad fontem vitae accedendum. Quicunque hac ratione bene dispositi erant fideles, illis s. Patres complura praecepta dederunt, in primis s. Augustinus et s. Hieronymus, quorum prior hanc rem singulari libro tractavit qui inscribitur „De vera religione.“ Quamvis autem non omnes eandem viam ingressi sunt, quum alii caritatem in Deum et proximum, alii fidem firmissimam primam proponant ex qua reliquae procedant in legendis virtutes: tamen re ipsa ad unum omnes inter se consentiunt. Mili quidem illi praeviae animi dispositioni optime convenire videtur, si prima legendis virtus cordis humilitas statuitur, unde reliquae omnes ultra profluant. Summa cum reverentia ad Deum accedentes ac quibuscumque praeceptis eius libenter obsecuturi dicant Christi fideles cum humillimo Dei servo Samuele⁵⁷⁾: „Loquere Domine, quia audit servus tuus;“ cum s. Patriarcha Abraham voluntati divinae in omnibus promptissime suam subiiciant, non quaerentes causam praecepti, et verbo Dei in omnibus fidem habeant submissa ratione sua sapientiae incomprehensae Patris omnipotentis. Sicuti cordis humilitas firmamentum est cuiusvis verae virtutis christiana et prima verae perfectionis conditio; ita etiam unusquisque hac virtute firmatus Evangelium Jesu Christi per animo susepiet, et ad vivam fidem ardenterque in Salvatorem nostrum caritatem proficiet. Idem censuit s. Augustinus, Christi fidelibus devote ac pie, ut vera religio posceret, ad Scripturam saeram accedendum esse docens: id quod multis argumentis et longiore oratione probavit in libro „De utilitate credendi“ cap. 6., et non minus in litteris contra Adimantum cap. 5. his

⁵⁵⁾ De vera relig. cap. 51. ⁵⁶⁾ Luc. VIII. 10. ⁵⁷⁾ 1 Reg. III. 10.

verbis affirmavit: „Sacra Scriptura non temerarios et superbos accusatores, sed diligentes et pios lectores desiderat.“ Quapropter non licet dubitari, quin ille solus, qui vere pauper est spiritu magnaenque infirmitatis et inopiae sibi conscious, ac solatii divini et institutionis desiderio tenetur, nec ignorat rationem suam tardiorum et angustiorem esse, quam ut divina percipiat ac mysteria Dei comprehendat, veros ex s. Scripturae lectione fructus capere possit, minime vero illi, qui superbia elati omnes religionis doctrinas sua ratione metiri conantur et omnia coelestia sua mente comprehendere, plane obliti unumquodque in rerum natura mirabile esse ac ne minimam quidem rem a Deo creatam cogitatione humana penitus concipi posse, simul autem omnino immemores verbi divini: „Quoniam tu populum humilem salvum facies et oculos superborum humiliabis⁵⁸⁾.“ —

Ex hac summa virtute oritur fides immutabilis et inconcussa, quae per omnes Christi doctrinas pertinet, nec illa curat, quae ab impiis hominibus obiciuntur, atque imagines cupiditatis suaे fraudulentas opprimit. Corde humiles non praesumunt indicare verbum Dei, omnibus aedificantur quae intelligunt, et quae non intelligunt, auctoritate nitentes Dei et Ecclesiae, firma fide, non dubitantes credunt. Non enim ignorant, quibus firmissimis fundamentis veritas Evangelii nitatur, non ignorant vi Evangelii sexcenta millia hominum a vita flagitiosa fœdisque sceleribus ad virtutem redisse, plurimos homines eosque eruditissimos eandem s. fidem habuisse, et pro Christi nomine omnibus terrenis voluptatibus bonisque contentis sanguinem suum libentissime profudisse; quapropter cum beato Petro omnes dubitationes expellunt dicentes: „Domine ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Et nos credidimus et cognovimus quia tu es Christus, filius Dei.“⁵⁹⁾ Et quomodo aliter fieri potest? Ubi ipse Deus, Veritas aeterna, loquitur, reticere debent omnes humanae cogitationes et dubitationes; licet enim „transierint cœlum et terra, verba Domini nunquam transibunt.“⁶⁰⁾ Eadem autem fide firmissima illi fideles sinceri amplectuntur quaecunque docet ac docuit s. mater Ecclesia, per saecula octodecim non concussa, cuius est verbum Dei conservare et interpretari; nec „circumferuntur omni vento doctrinae in nequitia hominum.“⁶¹⁾ Quapropter et Domini et Ecclesiae auctoritate confisi non minus libros Veteris quam N. T. veros et canonicos et divinos accipinnt, nec decipi possunt sermonibus illorum hominum impiorum, qui scrutantes rerum naturam se accusare posse s. Scripturam falso opinantur. Tantum enim abest, ut humana sapientia in operibus Dei quid-

⁵⁸⁾ Psalm. XVII, 28. ⁵⁹⁾ Joann, VI, 69 — 70. ⁶⁰⁾ Luc, XXI, 33. ⁶¹⁾ Ephes. IV, 14.

quam invenire possit, quod contradicat verbis Dei, ut certo oculi et animus eorum, qui huiusmodi quid audeant existimare, excaceati sint. —

Ad humilitatem illam et fidem accedere debent mens sincera, cordis puritas et vita proba, quae sive cum illis virtutibus iam coniuncta sunt, sive certe ab humilibus et fidelibus summo studio expetuntur, et quae quantopere requirantur ad lectionem s. Scripturæ, duo sint testes, s. Athanasius et s. Augustinus, quorum prior eas uberius explicat, dicens:⁶²⁾ „Ceterum ad Scripturæ indaginem verumque intellectum opus est vita proba, animo puro et virtute, quae secundum Christum est, ut mens per eius tramitem decurrens ea quae expedit adipisci possit: nam sine sanctorum imitatione nemo comprehenderit sanctorum verba, ut illis consuetudine paris vitae familiaris redditus, quae a Deo ipsis revelata sunt cognoscatur, et una cum illis inflammatus peccatorum quidem pericula eorumque ignem in die iudicii effugiat, ea vero percipiat, quae sanctis sunt reposita in regno cœlorum, et quae praeparata sunt iis, qui secundum virtutem vivunt Deumque diligunt et Patrem in Christo Jesu Domino nostro;“ alter autem eas iterum iterumque commendat his verbis:⁶³⁾ „Videre enim vis? Bonam rem, magnam rem vis; hortor ut velis. Videre vis? Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Math. V. 9.) Prius ergo cogita de corde mundando: hoc habeto negotium, ad hoc te advoca, insta huic operi. Quod vis videre mundum est, immundum est unde vis videre. — Tu mihi dicis: Ostende mihi Deum tuum. Ego tibi dico: Attende paullulum ad cor tuum. Quidquid ibi vides, quod displicet Deo, tolle inde. — Munda ergo cor, quantum potes, id age, id operare. Et ut ille mundet ubi maneat, roga, supplica, humiliare. — Quae sunt tenebrae nisi cupiditates malae, superbia, avaritia, ambitio, invidentia? Omnia istae tenebrae sunt: ideo non comprehendis. — Mundet nos gratia sua, mundet nos opitulationibus et consolationibus suis. Fratres mei, per ipsum et in ipso obsecro vos, in bonis operibus abundetis, in misericordia, benignitate, bonitate.“ — Quibus praeclarare dictis, quae ab ipso Domino confirmantur⁶⁴⁾, nullum verbum adiungam, nec mihi opus esse videtur pluribus praeceptis. Quisquis enim plenus in Deum reverentia, præditus corde humili et mundo vivaque fide firmatus, Ecclesia auctore, duce et magistra s. Scripturam legit: Verbum divinum illi erit fons sapientiae salutaris, manans in vitam aeternam, atque ut verbis utar s. Ambrosii⁶⁵⁾, „tunc inventiet unusquisque in s. Scriptura, quo aua vulnera sut curet aut merita confirmet.“ — U. I. O. G. D.

⁶²⁾ S. Athanas, serm. de humana natura a verbo assumta. ⁶³⁾ S. August. serm. CCLXI. ⁶⁴⁾ Joann VII, 17. ⁶⁵⁾ In Psalm, 48.